



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio II. Vtrum peccatum mortale habituale possit cum hypostatica
vnione componi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

Christianæ: è quibus constat, Christum fuisse aliquo modo peccatis obnoxium, & propterea actum in crucem. Inharendum nobis est definitioni Vigilij, quæ est in Concilio Romano, cuius meminit P. Hieron. Pradus tom. 1. in Ezech. in commentario isagogico post medium. ibi est mentio peccatorum Christi, & vestis diuisæ à militibus: vestis illa fuit personæ Christi, quam ipse gestauerat ante crucem: quam constat in parte diuisam à militibus, & in parte datam sorti: peccata verò non fuerunt personæ Christi, sed nostræ: nos enim ea commisimus, ille verò minimè; illius autem fuerunt quoad obligationem satisfaciendi pro illis. Itaque, Christi dicuntur ea peccata, quia quæ sunt membrorum, solent capiti adscribi: sunt item Christi quoad vadimonium: debita enim non solum sunt debitoris proprii, sed etiam vadis.

§. 5. Sic interpretare Paulum 2. ad Corinth. 5. *Eum, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Igitur si Christus peccatum non nouit: ergo neque commisit; iam enim illud nouisset. Sensus ergo est, & Christus erat innocens omnino, & Deus repetiuit ab eo poenas nostrorum peccatorum, illum faciens peccatum, id est, sacrificium pro peccatorum ablutione: quemadmodum sacerdotes dicuntur comedere peccata populi, id est, sacrificia, & oblationes pro peccatis. Aduerte, opera praua non posse tribui Christo voce actiua, quia sonare videtur personam Christi peccare. Quamobrem quidam Archiepiscopus cognomento *Augustinus Romanus* damnatus fuit erroris in Concilio Basileensi, quia dixerat Christum peccare quotidie; quamuis id acceperat de mystico Christi corpore. at verò peccata illi possunt adscribi verbo substantiuo, & dici peccata Christi: quia Christo est obligatio pro illis satisfaciendi, quia sunt peccata corporis mystici eiusdem Christi.

§. 6. Huic Vigilianæ definitioni adsonant Ricardus Pompopolitanus, & Hugo Cardinalis, existimantes *Meorum* non accipi adiectiuè, sed substantiuè: ne sit hic sensus, *delicta mea longè sunt à me*; sed hic, *delicta meorum longè sunt à me.* Quia sunt hominum Christi, quos Christus potest appellare *meos*, quia sunt corpus mysticum ipsius: sunt quæ ea delicta longè à salute Christi pendentes in cruce in illorum satisfactione: quæ delicta propterea sunt Christi, quia sunt suorum. Itaque Ricardus & Hugo loquuntur de peccatis quoad commissiōnem: qua ratione non sunt in persona Christi, sed in eius corpore mystico.

SECTIO II.

Vtrum peccatum habituale mortale possit cum hypostatica vnione componi?

SUBSECTIO I.

Nonnulla præmoneo.

§. 7. **N**on instituo sermonem de vnione hypostatica vt coniuncta gratiæ habituali, charitati & visioni beatæ: esset enim ea quæstio communis: est enim difficultas, vtrum cum gratia habituali possit componi peccatum mortale habituale? Certum est, beatum non posse ex na-

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

tura rei esse in peccato mortali; ego existimo neque in veniali. Cum ergo vnioni hypostaticæ debeantur ex natura rei illa dona; concludo eam ex natura sua esse impossibilem cum peccato. Quia vt posset componi cum peccato, opus etiam esset vt posset componi cum illorum carentia donorum: quia nisi subiectum illis careat, non potest esse in illo peccato: sed vnio hypostatica non potest componi cum illorum carentia donorum: ergo non potest cum peccato mortali componi.

§. 8. Est autem quæstio, vtrum præter hanc oppositionem remotam vnio habeat aliam proximam & immediatam cum hoc peccato? id est, vtrum vnio & peccatum seipsis opponantur ratione sui, & effectuum formalium, quos immediate tribuunt subiecto: quemadmodum opponuntur calor & frigus, gratia & peccatum, peccatum & visio Dei. Nonnullæ enim formæ possunt opponi & immediate ratione sui, & medio aliquo effectui, vt gratia peccato & per se, & per visionem Dei ab illa fluentem: alia verò possunt opponi mediata, quin formaliter & immediate: vt lux, & frigus non opponuntur formaliter immediate; opponuntur tamen per calorem luce productum. Ita disquiro, vtrum vnio non solum per visionem Dei, & gratiam habitualem, sed etiam per se opponatur peccato mortali habituali.

§. 9. Qui censent gratiam sanctificantem non posse neque diuinitus cum peccato mortali componi; item censent vnione hypostatica humanitatem sanctificari, vel quia diuinitas, aut hypostasis, aut vtraque, est ratio sanctificandi; dicent consequenter impossibilem esse eam compositionem. Quamuis P. Vasquez non potest tam contento brachio tela torquere: totus enim innititur physiciæ mutationi per gratiam inherentem. Ostendi autem disp. 47. à §. 70. ad 75. ab ipso sentiri humanitatem diuinitate non esse physicè sanctam, sed moraliter. Sic argumentor: Si humanitas præexistens in peccato habituali, assumeretur à Verbo sine alia forma creata sanctificante; non posset ex vi illius assumptionis in sententia P. Vasquez expelli peccatum: quia sanctificatio fit à Deo per actum liberum, qui in eiusdem sententia requirit mutatione physicam in obiecto: sed in eadem sententia nulla talis mutatio reperiretur: quia tota illa sanctificatio est formaliter moralis: ergo per vnionem hypostaticam non expelleretur peccatum habituale: ergo neque nunc expellitur: quia nunc est eodem modo; solum quæ est discrimen in gratia habituali, & visione beata.

§. 10. Dices, in assumptione humanitatis reperiri physicam mutationem impossibilem cum peccato, quæ mutatio est ipsa vnio, eiusque productio. Contrà: Illa mutatio non pertinet formaliter in hac sententia ad iustificationem: quia illa neque est sanctificatio, & vnio physicè solam hypostaticam non sanctificantem formaliter: ergo per illam formaliter non expellitur peccatum: quia hoc non potest expelli formaliter nisi aut visione Dei, aut forma sanctificante: ergo ad expellendum peccatum habituale exigitur alia physica mutatio pertinet formaliter ad iustificationem. Quod explico argumento familiari P. Vasquez: illa humanitas prius peccatrix, de peccatrice redderetur iusta: ergo haberet in se aliquam mutationem physicam, perquam se haberet aliter in ratione iustæ. At nul-

N n lam

S. Thom.
9. 15. a. 1.

lam haberet per te: ergo non emundaretur à peccato Verbo sibi vnito.

SUBSECTIO II.

Antiquorum opinio.

§. 11. **M**agister in 3. dist. 12. meminit quorundam opinantium componi posse peccatum cum vnione hypostatica; quos tamen ipse refellit. Quam sententiam postea acriter propugnarunt Theologi perillustres, neque pauci: Scotus in 3. dist. 12. q. 1. §. De secundo dico. & §. Ad primum, & §. Ad argumenta principalia. Durandus qu. 2. Gabriel art. 2. & dist. 1. qu. 2. art. 1. Marsilius in 3. qu. 3. art. 2. in 4. parte a. 1. Bassolis qu. vnica art. 1. Almainus apud Medinam qu. 4. art. 1. ad 3. at verò in 3. dist. 12. qu. 1. quamuis indicat sententiam Scoti esse rationabilem, apparentiorem censet oppositam: in eandem sententiam Scoti sese Okamus inclinatur: cui Scotici subscribere, nuper autem Philip. Faber in 3. disp. 27. num. 9. Hos omnes auctores pro ea sententia produco, quia censent posse componi cum vnione hypostatica peccatum actuale: quo physice præterito manet habituale.

§. 12. In eam sententiam acriter inuehuntur Medina 3. p. q. 15. art. 1. & alij Thomistæ: item P. Suarez, P. Monzeus, & alij, eam impietatis & temeritatis accusantes: vtrum autem merito, considerandum est ex argumentis. Ac Primum probandum est, Patres facilem habere explicatum, quando dicunt in Christo, etiam vt homine, non posse esse peccatum, idque ratione vnionis. Scotus admittit hanc propositionem absolute, *Christus vt homo est absolute impeccabilis*: quia vt propositio sit vera, satis est Christo repugnare peccatum ex natura rei: sicut hæc est vera, *Petrus absolute non potest esse simul in duobus locis*: quamuis enim possit diuinitus in illis esse, non tamen ex natura rei. Ratio est, quia Christus, vt homo, est inseparabilis naturaliter à visione beata, cum qua peccare non potest. Hinc facile Patres expones.

§. 13. Dionysius Alexandr. in epist. contra Paulum Samosatenum, adductus à P. Vasquez disp. 61. num. 9. & P. Monzeo disp. 9. cap. 2. prius autem à P. Suarez disp. 33. sect. 2. asserit solum Christum, quia est filius Dei, non potuisse peccare; ceterorum autem neminem esse qui non possit. Respondeo, hæc posse componi cum sententia Scoti: quia consideratis omnibus personis terminantibus naturam creatam, sola persona Christi est aliena à potestate peccandi: quia ex conceptu personæ illi soli debetur visio Dei; ceteris autem personis minimè debetur ex conceptu personæ.

§. 14. Augustinus lib. 2. de Peccat. meritis, & remiss. cap. 11. asserit non potuisse cadere peccatum in diuinitatem Christi, neque in animam. Quod non dixit ratione visionis: ea enim ratio esset communis cuius beato, estque gratuita, non verò naturalis: gratiam autem, per quam Christus est impeccabilis, vocat naturalem: cui gratiæ vnionis in lib. de Corrept. & gratia adscribit impotentiam peccandi. Item lib. 1. de Prædestinat. sancto. c. 15. clarissimè autem in Enchiridio cap. 40. vbi ait factam fuisse tantam vnionem naturæ humanæ cum diuina in vnitatem personæ, vt ratione illius gratiæ quasi naturalis nullum possit natura humana pec-

catum admittere. Respondeo neque ab his esse Scotum alienum: quia censet personam Christi ex conceptu personæ esse impeccabilem etiam in natura humana: quia ex conceptu personæ non potest esse naturaliter absque visione Dei, ac propterea nec cum peccato. Quod non quadrat in ceteros Beatos: quamuis enim omnibus sit communis ratio proxima impeccabilitatis, non tamen ratio illam habendi: quia ceteris personis est gratuita, quia neque illa, neque gratia sanctificans est debita vlli personæ: personæ autem Christi est debita, ita vt non possit illa naturaliter priuari: ob quod impeccabilitas est tam naturalis Christo, quam gratia vnionis. Quibus integrè Augustino fatis.

§. 15. Athanas. in li. de Incarnat. Christi parum à principio, asserit nullo modo potuisse esse in Christo peccatum. Ambros. lib. de Incarnat. Dominica Sacram. cap. 7. Epiphanius in Anchorato longè post medium ait, Christum non fuisse subiectum peccatis propter deitatem plenè inhabitantem in Christo. Nazianz. orat. 36. quæ est IV. de Theologia, num. 46. ait, voluntatem Christi non aduersari Deo, quia tota deificata est. Origenes lib. 2. Periarchon cap. 6. eleganter comparat humanitatem Christi ignito ferro, quod non potest frigus admittere: ita neque anima Christi est conuertibilis, quia in illa ipse ignis substantialiter requieuit. Cyrillus Alexandr. aduersus Anthropomorphitas cap. 23. initio stolidos appellat eos, qui censent humanitatem Christi posse peccare. Idem repetij lib. de Recta fide ad Theodosium longè ante medium, vbi probat animam Christi vnione redditam stabilem in bono. Chrylost. atque Hieron. ab eadem sunt ratione. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 10. ait: *Primus Adam peccare potuit, quia purus homo: secundus Adam peccare non potuit, quia est Deus.* Adde Fulgentium lib. 1. de Vnitate prædestinat. & gratiæ non longè à principio. Respondeo vno verbo, eos Patres cum Scoto componi: quia loquuntur de Christo, vt est nunc, debuitque naturaliter esse susceptio enim humanitatis in vnitatem personæ est ratio impeccabilitatis: quia propter eam vnionem non potest anima assumpta carere visione Dei, neque peccare. Quæ vnio stabilem reddit voluntatem Christi, & inconuertibilem à Deo, quia in intellectum deriuat visionem Dei, & in voluntatem amotem, quibus proximè tenetur, ne possit à Deo diuelli. Dixit Origenes animam Christi semper esse in sapientia: *Omne, quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est, & ideo neque conuertibilis, neque mutabilis dici potest.* Quibus aperte docet, ex visione orti inconuertibilitatem: quia omne, quod intelligit, Deus est: id est, quia numquam non intelligit Deum. quam inconuertibilitatem dicit acceptam ab vnione hypostatica, quia inde visio est etiam accepta. Casum autem propositæ difficultatis Patres non disputare.

§. 16. Ostendi sententiam Scoti non esse dignam vlla censura: nunc eius argumentum expendo. est autem duplex: quia sola vnio non sanctificat formaliter humanitatem, sed radicaliter tantum, quia illi debetur gratia sanctificans: de quo egi disp. 47. tum etiam, quia licet humanitas sanctificetur formaliter vnione, tamen gratia sanctificans, & peccatum opponuntur non physice, sed tantum moraliter ex voluntate Dei. Respondeo, vtrumque esse falsum: quia vnio sanctificat humanitatem for-

maliter item peccatum mortale, & gratia sanctificans opponuntur ex natura sua. Quidquid autem sit de gratia habituali, ostendam sublect. 5. & 6. vnionem hypostaticam nullo modo cum peccato posse componi.

§. 17. Secundum fundamentum est: Verbum subrogatur pro subsistentia creata: sed hæc non sanctificat formaliter humanitatem: ergo neque illa. Respondeo, eodem argumento probari, neque visionem Christo deberi. Nego igitur consequentiam: quia pro supposito imperfecto, & non constituyente filium Dei, subrogatur suppositum infinitè bonum constituens filium naturalem Dei. Cætera argumenta proponam inferius.

SUBSECTIO III.

Conclusio.

§. 18. **E**Xistimo vnionem hypostaticam opponi ex natura sua omni peccato mortali habituali, non solum mediatè per habitus infusos, eorumque actus, sed etiam immediatè per se: itaque si in humanitate Christi esset sola vnio hypostatica cum carentia reliquarum gratiarum accidentalium, adhuc non posset cum peccato mortali componi. Quæ sententia est communis. Pro qua adducuntur Magister in 3. dist. 12. S. Thomas ibi q. 2. a. 1. & 2. & 3. p. q. 15. art. 1. Video à Phil. Fabro hos Doctores exponi de humanitate vnita Verbo modo connaturali ipsi vnioni, nempe cum visione beata; eos verò non egisse de hac nostra quæstione. Quæ quidem expositio, quamuis mihi non videretur vera; tamen non potest impugnari facilè. Videntur tamen illi egisse de vnione secundum se: quia S. Thomas ait Christum *nullo modo* peccare posse: verba item Magistri indicant alienum esse à Deo peccatum. Clarissimè autem est ab hac sententia eadè dist. 12. art. 2. q. 1. S. Bonauent. constituens triplicem rationem, ob quam Christus, vt homo, est impeccabilis. Prima, est confirmatio in gratia: nullus autem confirmatus in gratia potest graui inquinari peccato: quod etiam ibidem dixerit Lombardus & Thomas. Secunda, est visio beata, quæ Christo data est ipso momento conceptionis. Tertia, est vnio ipsa hypostatica, quia implicat, vt Deus sit peccator. Nullus ex antiquis tam perspicuè & acutè difficultatem hanc tetigit acutè, quam Bonauentura: quod ego in plerisque difficultatibus obseruaui. Consentiant Almainus eadè dist. 12. q. 1. censet enim hanc sententiam esse apparentiorem. Adde Capreolum, cæterosque Thomistas: nuperos autem Medinam 3. p. q. 15. art. 1. Alvarez disp. 68. & Paulum Nazarium, qui (vt solent) non se continent à censura. Adde P. Valentium tom. 4. disp. 1. q. 15. punct. 2. P. Suarez disp. 33. sect. 2. P. Vasquez disp. 61. cap. 3. P. Ragusam disp. 114. §. 2. & P. Monzeum disp. 9. cap. 2.

§. 19. **Q**uamuis à §. 13. ad 15. Partes exposui, vt Scotum à censura vindicarem, negari tamen non potest eos pro hac sententia posse adduci cum maxima probabilitate. Adde Augustinum tom. 4. lib. 2. de Incarnat. Verbi, aliquantò ante finem, asserentem ex Verbi Dei vnitate indefinenter posse esse orici hanc inuertibilitatem. Ne autem dicat Scotus, Augustinum locutum non de sola vnione, sed de illa vt coniuncta visioni, subiiciam verba Augustini Pet. Murro de Mendocina de Incarn. pars I.

gustini, quibus significat inter vnionem & peccatum esse immediatam oppositionem. Verba autem sunt: *Vngi namque oleo letitiæ non aliud intelligitur quam Spiritu sancto repleti. Quod autem, Pra participibus dixit, indicat, quia non gratia Spiritus, sicut Prophetis, data est; sed ipse Verbi Dei in eo substantialiter inerat plenitudo. Denique propter hoc non solum dixit, Dilexisti iustitiam; sed addidit, Et odisti iniquitatem. Odisse enim iniquitatem illud est, quod Scriptura dicit de eo, Qui peccatum non fecit, &c. Ex quibus pater, Augustinum ad tuendam impeccabilitatem Christi recurrisse ad solam hypostaticam vnionem. Quam paulò post ijs verbis explanat: *Vmbra Christi Domini hanc vocasse (Ieremiam:) in qua vmbra nos viueremus in Gentibus. In humanitatis namque assumptionis sacramento Gentes viuunt. Deinceps discrimen constituit Augustinus inter Christum, & cæteros iustos, diuersasque rationes impeccabilitatis, aut potestatis peccandi, his verbis: Ad omnes denique sanctos calor aliquis Verbi Dei putandus est peruenisse: in hac autem anima ignis ipse diuinitatis substantialiter requieuisse credendus est, ex quo ad cæteros calor aliquis venerit. Denique quod dixit, Quia vnxit te Deus, Deus tuus, oleo letitiæ pra participibus tuis, ostendit, quod ista anima aliter oleo letitiæ, id est Verbo Dei, & sapientia vngitur, & aliter participes eius, id est, sancti Prophetæ, & Apostoli: illi enim in odorem vnguentorum eius cucurrisse dicuntur; ista verò anima vasculum vnguenti ipsius fuit, ex cuius fragrantia participes digni quique Prophetæ & Apostoli fiebant. Et sicut vas ipsum, quod substantiam continet vnguenti, nullum potest genus aliud accipere liquoris; ita anima Christi velut vas, in quo inerat substantia vnguenti, impossibile fuit, vt contrarium reciperet odorem: participes verò, &c. Hæc sententia, & verba prius fuere dicta ab Origene lib. 2. Periarchon c. 6. post mediū: quibus satis apertè probat, pugnam peccati & gratiæ in anima Christi esse formaliter propter vnionem hypostaticam: quo differt Christus à cæteris iustis, in quibus hæc pugna oritur ab accidentibus, quæ vocantur aliquis odor gratiæ. Hunc librum Martinus Lipsius, Cardin. Bellarminus, & P. Posseuinus dicunt non esse Augustini; coniectura tamen meo iudicio, non efficaci.**

SUBSECTIO IV.

Aliorum argumenta.

§. 20. **H**æc quamuis certa sunt, tamen non probantur eadè ratione. Henricus & Alexander opinantur humanitatem Christi non posse maculari peccato, quia non potest etiam diuinitus vnio separari à visione beata: ergo impossibile est peccatum cum vnione secundum se: quia vnio secundum se est inseparabilis à visione. Ob quod quæstio proposita terminos implicat: est enim ex hypothesi vnionis hypostaticæ separatæ à visione. Contra: Vnionis productio, & visionis beate, non est vna, sed duæ realiter distinctæ: ergo possunt separari diuinitus: quia ex separatione non sequuntur duo prædicata contradictoria. item altera productio est substantialis, altera accidentaria: cur non poterunt diuinitus separari? Visio non est, qualis est vbiatio, duratio, & (vt alij censent) subsistentia, quæ sunt accidentia communia, aut modus existendi per se: sine quibus non possunt esse substantia: quibus non repugnat esse sine actu intellectus. Opus est ergo ostendere repugnantiam rationem;

S. Thom.
2. 2. 2. 2.

nam; alioquin posset alius dicere vnionem hypostaticam esse diuinitus inseparabilem à gloria corporis, tristitia impotem, & alia id genus. Quod si velint impossibile esse separationem visionis ab vnione, quia humanitas posset peccare; petunt quidem principium: Scotus enim contendit vnionem posse diuinitus cum peccato componi, quia potest visione carere: Henricus autem dicit impossibile esse eam compositionem, quia humanitas non potest visione carere: rogatus autem cur non posset visione carere, respondet quia posset peccare. Respondet ergo & circulo, & petitione principij. Aliunde ergo probanda est aut impeccabilitas aut repugnantia visionis. Hac autem rectè probatà, rectè sequitur altera.

§. 21. Alij censent humanitatem non posse admittere peccatum actuale, quia actiones sunt supposito Deo. Vnde deducunt non posse cum supposito Deo peccatum habituale componi: quia denominationes sunt etiam supposito, nec potest Deus denominari peccator. Contra: Non est eadem ratio in peccato habituali, & actuali: illi enim auctores dicunt actiones vitales pendere speciatim à supposito, vt à principio intrinseco: sed peccatum habituale non est actio; sed priuatio gratiæ, vel peccatum actuale non condonatum, siue moraliter manens: ergo non est eadem ratio. Probo consequentiam, quia denominationes priuatiuæ, aut morales, possunt adscribi soli humanitati, quin adscribantur supposito, quamuis denominationes actiuæ illi non possint adscribi. Quod probo Primùm: quia anima rationalis denominatur propriè facta ex nihilo, & de nihilo creata; item dicitur potens reduci ad nihilum: quæ denominationes minime conueniunt supposito, quod neque creatum est, neque potest in nihilum redigi: neque item est terminus creationis animatiuæ: ergo soli animæ, & non Verbo, possunt conuenire aliquæ denominationes passiuæ. Eadem ratione priuatio gratiæ eidem animo soli conueniret. Ratio à priori: quia sola anima est subiectum eius priuationis, sicut illa sola est terminus creationis: quia illa sola est subiectum gratiæ, quæ non dependet à supposito in genere causæ subiectiuæ: quamuis enim suppositum diuinum in genere causæ efficientis posset esse speciale principium actionum, at non in genere causæ subiectiuæ, quæ imperfectionem includit. Idem dico de peccato non condonato: quod quidem physicè nihil est, sed quædam extrinseca denominatio: ad quam sustinendam extrinsece satis est liberum arbitrium, quod peccauit. Demum à Verbo adsumi animam, quæ prius tempore peccauisset existens sine vilo supposito (quod fieri posse diuinitus probaui disp. 11. Metaphyl. à §. 122.) vel existens in alio supposito: quo destructo, & succedente alio, maneret idem peccatum actuale. Si enim destructo primo supposito, subrogaretur aliud creatum numero distinctum, non propterea anima illa solueretur peccato habituali: quod quidem perseveraret, quia perseveraret liberum arbitrium; à quo erat commissum: & quoad retinendam illam extrinsecam denominationem, non est opus vt suppositum concurrat.

§. 22. P. Suarez censet animam vnitam Verbo non posse peccare: quia Verbum non solum denominatiuè, sed etiam diuina voluntate peccaret:

quia ageret contra dictamen rectæ rationis, si permitteret humanitati peccatum: quia ad ipsam spectat illam reddere à peccatis immunem, vt id præstare debent maritus vxori, & filio parentes. Contra: Licet id verum est in peccatis actualibus, quæ concipimus post vnionem, siue in sensu composito vnionis, at non probat idem de præteritis. Ratio est, quia quando sunt duæ potentia, altera inferior, superior altera; debet superior regere inferiorem: at non debet emendare errata commissa à potentia inferiore, quando illi non erat subiecta. Maritus tenetur vxorem in officio tenere; at non tenetur extinguere debita ab vxore contracta ante matrimonium: quia eo tempore actiones illius femina ad eum non spectabant: ergo neque Verbum tenetur emendare humanitatis errata commissa ante vnionem: esto teneatur post vnionem humanitatem in officio tenere. Quod si humanitati iam vnitæ tenetur ita prouidere, ne sit in tam graui damno contracto ante vnionem, tenebitur etiam ab ea depellere habitus vitiosos, ignorantiam, errorem, & alia grauissima damna: sicut maritus tenetur erudire vxorem graui laborantem ignorantia. Itaque hæc ratio P. Suarez probabilis est, ad probandum ex vnione oriri Deo obligationem numquam permittendi humanitati vnitæ peccatum: quia filium naturalem tenetur quis à peccato cohibere: at Christus vt homo est filius naturalis Dei Patris: ergo Deus Pater tenetur non permittere peccatum Christo, vt homini. De peccato habituali non est ratio tam efficax: est autem bona: quia pater tenetur prouidere filio salutem æternam, & eripere à summis arumnis. Non est autem eadem ratio de ignorantia: quia non est obiectum displicentiæ diuinæ: at pater non potest permittere in filio naturali id quo esset eius amicitia extorris. Virum autem hæc ratio idem probet in matre Dei, dicam disp. 100. sect. 3. subsect. 3. Absolutè autem rationem hanc probabilem tantum esse, & Deum ea ratione absolutè nullam habere obligationem impediendi peccata eo titulo, dicam sect. 5. subsect. 3.

SUBSECTIO V.

Ratio à priori.

§. 23. Mirum est tam Scoticos, quam Thomisticos non vidisse rationem, quæ se vltro oculis offert: quod in schola vtrorumque probo. Primùm apud Thomisticos: humanitas Christi in illorum sententia sanctificatur formalitè vnione hypostatica, vel quia coniungit hypostatum vt rationem sanctificandi, vel diuinitatem, vt ostendi disp. 47. Sed in illorum etiam sententia peccatum mortale non potest componi cum gratia sanctificantè, vt ostendi disputans de iustificatione: ergo ex solo conceptu vnionis sanctificantis rectè probatur eius cum mortali peccato repugnantia. Quid ergo opus est inire salebrosas vias suppositorum? In Scotica autem schola res est aperta. Fateatur Scotus vnionem secundum se debere visionem Dei, sic argumentor: Vnio sola est titulus tam condignus ad visionem, vt illa non possit naturaliter priuari humanitas: ergo cum vnione non potest componi peccatum mortale. Probo consequentià: quia non possunt in eadè humanitate esse duo tituli condigni, alter vitæ æternæ, alter eiusdem

dem aeternae vitae carentiae. Neque enim idem homo potest simul esse dignus vita, & nece: si enim est dignus nece: ergo sine iniuria potest vita priuari: at ille, cui vita debetur, non potest absque iniuria vita priuari: ergo. Undecumque ergo hic titulus oriatur, pugnat ex natura sua cum reatu damnationis aeternae: ergo quamvis vnio potest visione priuari, non potest cum peccato componi ex natura rei: quia illi duo tituli non possunt componi: quid autem sit de potentia absoluta, dicam subsect. 6. Itaque ex conceptu sanctitatis ego hanc repugnantiam probavi abhinc annis viginti disputans de iustificatione: quam rationem, aliasque nonnullas spectantes ad quaestiones alias, placuisse laetor P. Monzeo viro eleganti, ingenioso, & erudito: cuius praematura mors luctum etiam maturavit scholis. Alias eius confirmationes rejicio in eius disp. 9. cap. 2.

§. 24. Secundum repugnantiae caput oritur ex eadem vnione. Aduerte esse quaestionem inter Catholicos, vtrum humanitas reddatur substantialiter sancta formaliter diuinitate, hypostasi, aut vnione. Er quamvis pars affirmans est iam certa, nondum tamen est definita. At verò definitum est, Christum, vt hominem, vnione hypostatica esse filium naturalem Dei. Sic argumentor: Sola vnione, seclusis alijs omnibus accidentibus, Christus, vt homo, est filius naturalis Dei: ergo sola vnione est heres bonorum Dei: ergo sola vnio seclusis omnibus alijs accidentibus pugnat ex natura sua cum peccato mortali. Antecedens est definitum Francofurti ab Adriano. Prima consequentia est B. Pauli: secundam negari non posse, ostendi §. 23.

SUBSECTIO VI.

Quid de potentia absoluta.

§. 25. **E**X conceptu communi sancti, & filij probata est oppositio naturalis inter vnionem hypostaticam, & peccatum mortale habituale: quae probatio satis est ad repugnantiam ex natura rei. Superest difficultas, vtrum ea oppositio tanta sit, vt nec diuinitus sit compositio possibilis. Difficultas est, quia est opinio valde probabilis, hoc genus peccati posse diuinitus componi cum gratia habituali, & visione Dei: ergo idem erit de vnione hypostatica. Probo consequentiam: quia conceptus formalis & adequatus iusti, & filij est qualitas gratiae; cum qua tamen componi potest peccatum.

§. 26. Aliqui negant antecedens, opinari non posse peccatum mortale cum gratia componi. De qua quaestione hic non est disputandum: quia si horum sententia vera est, non dubium, quin vnio hypostatica sit impossibilis cum peccato; si autem gratia habitualis potest cum peccato componi, superest grauis quaestio, vtrum idem sit asserendum de vnione hypostatica? Existimo autem partem negatiuam: quae est omnium, qui admittunt repugnantiam naturalem inter vnionem, & peccatum. Probat a priori: impossibile est etiam diuinitus Christum, vt hominem, non esse filium naturalem Dei: quia de conceptu essentiali eius vnionis est constituere personam humanam non alienam, neque extraneam à Deo, & ab ipso Deo productam: in quo sita est definitio hominis filij natura-

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

lis Dei: ergo impossibile est etiam diuinitus in illo homine esse peccatum mortale. Probo consequentiam: quia filius, dum est filius, habet titulum condignum ad hereditatem paternam: hereditas autem Dei est eius visio: ergo Christus non potest non habere titulum ad hereditatem. Antecedens est B. Pauli, *Quid si filius: ergo & heres*: ergo ex solo conceptu filiationis tamquam ex causa adaequata Apostolus infert hereditatem. Sed cum illo titulo non posse componi titulum, quo iuste hereditate priuemur, ostendi §. 23. ergo.

§. 27. Obijcis Primò: Potest manere filius, & hereditate priuari: ergo potest etiam filius naturalis Dei carere titulo ad hereditatem. Nego consequentiam: discrimen est, quia filij creati sunt imperfecti, & possunt mille flagitijs demereri non solum hereditatem, sed & vitam. Neque de illis loquitur Paulus, sed solum de filijs Dei, *Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*: est ergo impossibile, vt filiatio Dei careat titulo hereditatis. Quod quidem ex ipso Scoto deprehendes aperte: fatetur enim ille huic filiationi deberi naturaliter visionem beatam, ratione cuius Christus, vt homo, est naturaliter impeccabilis, & inseparabilis à titulo hereditatis. quod non quadrat in filiationem purae creaturae: quae non est inseparabilis ab aliquo impedimento ad peccandum. Vnde ex hac filiatione non potest inferri hereditas; potest autem ex filiatione naturali Dei: quae (etiam ex Scoto) inseparabilis est naturaliter à visione, & per suam essentiam est ad illam condignus titulus. Ineptum ergo ducitur argumentum à nostra filiatione ad istam.

§. 28. Obijcis Secundò: Gratia habitualis est filiatio Dei, à qua tamen ad hereditatem non valet consequentia comparatione potentiae absolutae: ergo neque in hac filiatione Christi. Distinguo antecedens: gratia habitualis est filiatio Dei simpliciter & proprie, nego antecedens: est Dei filiatio secundum quid, & metaphoricè, concedo antecedens, & nego consequentiam. Animum aduerte gratiam habitualement esse filiationem adoptiuam Dei: quae filiatio non est propria, sed per imitationem. Pater enim adoptans se gerit cum adoptiuo filio, ac si esset naturalis: quia affectus & amor in adoptiuum praestat quod generatio in naturalem, quod attinet ad hereditatem. Ita Deus sibi complacet in homine iusto, illique decernit sui visionem, quem diligit carere & tenere, non secus ac si esset filius, neque aliter quam homines liberos diligunt. Est igitur homo iustus filius Dei, qua ratione iustus est; est autem iustus gratia habituali tamquam causa formali; at verò additur etiam carentia peccati mortalis, tamquam effectus formalis secundarius gratiae: qui effectus secundarius est de conceptu formali sanctitatis nostrae: ob quod est etiam de conceptu formali filiationis adoptiuae. Vnde ex solo effectu formali primario gratiae non infertur hereditas; infertur autem ex primario simul & secundario: in vtroque enim orto à gratia tamquam ab vnica causa formali nostrae iustificationis sita est nostra sanctitas, & filiatio Dei. quae abunde probavi disputans de iustificatione, componens vnitatem causae formalis cum vtroque effectu primario & secundario. At verò filiatio naturalis consistit in solo conceptu positiuo hypostasis, vt vnitae humanitati, per quem realiter Christus, vt homo, est persona non aliena à Deo: ob

Nn 3 quod

S. Thom.
2. 2. 1.

quod hæc filiatio non pendet ab alio conceptu secundario priuatiuo, aut positiuo. Carentia enim peccati sequitur ex hac filiatione naturali, tamquam ex adæquato conceptu filiationis. Quæ tam certa sunt, vt, si per impossibile Christus, vt homo, esset in peccato mortali, adhuc, vt homo, esset Filius naturalis Dei. Imò nunc filiatio naturalis est ratione prior sanctitate, vt aibi ostendi: quia sanctitas est attributum filiationis, sicut bonitas attributum entis. Hinc deduces, non esse consequentiam à gratia habituali ad vnionem: quia altera se sola non est filiatio; è contrà verò, altera se sola est filiatio: & quamuis conceptus filiationis sit diuinitus separabilis à gratia, tamen est inseparabilis ab vnione. A gratia autem simul cum effectu secundario, qui est carentia peccati mortalis, meliùs argumentemur ad vnionem. Adhuc tamen pressior est titulus vnionis hypostatica: ratione cuius Christus, vt homo, tanto melior est angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando angelorum, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: Constat ergo plurimum eos falli, qui censent eandem esse rationem in filiatione naturali, & adoptiua.

§. 29. Secunda probatio repugnantia est ex conceptu sanctitatis. Ostendi humanitatem esse formaliter sanctam hypostasi Verbi. Alij censent, diuinitate: quæ sanctitas habet physicam oppositionem cum peccato habituali: hæc autem oppositio non potest diuinitus vinci: ergo non possunt componi. Probo Minorem: quia illa est repugnantia infinita: nulla autem eiusmodi repugnantia vinci potest. Vt patet in immortalitate: quæ si vniretur humanitati, illi præstatura suum formale effectum, esset humanitas in sensu composito vnionis immortalis etiam diuinitus: & vt Deus posset humanitatem occidere, opus esset vt prius ratione solueret vnionem. Ratio est infinita repugnantia, quam habent perfectiones diuinæ cum oppositis imperfectionibus. Neque obest sanctitatem diuinam vnitam esse modo creato: id enim probat posse humanitatem sanctitate priuari. quod quidem repugnat Deo sancto per essentiam: at verò ex suppositione vnionis non potest vinci oppositio infinita sanctitatis cum peccato.

§. 30. Hinc deduces, sanctitatem substantialem Christi, vt hominis, non componi formaliter ex conceptu positiuo & priuatiuo, sed ex solo conceptu positiuo hypostasis vt vnita. Primùm, quia sanctitas, & filiatio Dei conuertuntur, vt ostendi disp. 47. sed filiatio naturalis Christi, vt hominis, est sola hypostasis, vt vnita humanitati: ergo & sanctitas. Secundò, quia sanctitas est id, per quod humanitas Christi est particeps diuinæ naturæ, & illi placet infinite: sed illa participatio est purè physica, & positiua; complacentia autem sequitur ex bonitate Verbi vt vniti: ergo. Carentia autem peccati est effectus formalis secundarius ortus à tota filiatione naturali, & sanctitate substantiali Christi: quæ carentia est effectus, non pars sanctitatis Christi prouenientis formaliter ab vnione. Nostra verò sanctitas in parte consistit in illa peccati carentia, orta à gratia habituali, tamquam ab vnica causa formali nostræ iustitiæ. Rationem reddidi §. 28. ex vnione physica cum Deo: gratia verò est vnio per affectum, exigentem in obiecto carentiam mali, & positiuum bonum; ex vtroque autem

conflatur obiectum amicitia. Vnio verò naturalis filiationis & sanctitatis seipsa allicit amicitiam.

SECTIO III.

De peccato originali.

§. 31. **M**agister in 3. dist. 12. (cum quo, & ceteri Theologi) ostendit ex B. Augustino Christum contentum in Adam secundum corruptam substantiam; non verò secundum seminalem rationem: id est, Christum accepisse carnem ex posteris Adami; non tamen ab illo deriuatam seminata ratione. Eius enim caro sine concursu accepta fuit ex Maria: hæc autem ortum traxit ex Adamo per congressum feminae & viri. Ob hæc Christus ex eodem Augustino non fuit decimatus in Abraham, neque contraxit peccatum originale: hoc enim non contrahitur nisi ab ijs, qui continentur in Adam secundum rationem seminalem, & concipiuntur ex congressu feminae & viri.

§. 32. Vtrum autem de potentia absoluta possit Christus contrahere originale peccatum; non est grauis quaestio. Hoc peccatum est aut peccatum capitis, quod in generatione transfunditur in posteros, in quibus dicitur moraliter manere, donec condonetur: vel est carentia iustitiæ, in qua concipi debemus. Vnde deduces, non potuisse Christum in vtero nasci cum illo peccato. Primùm, quia peccatum illud reddit subiectum natura filium iræ, id est conceptione, siue natiuitate in vtero: Christus autem, vt homo, est natiuitate filius amoris: quia de conceptu substantiali Christi, vt hominis, est naturalis filiatio Dei, cui debentur bona, & amicitia paterna. Secundò, quia, si peccatum originale est carentia iustitiæ, non potuit esse in Christo, qui neque concipi potest sine sanctitate. Si verò est aliquid distinctum à carentia iustitiæ, habet vim ad illam inferendam: sed implicat diuinitus esse aliquid in Christi conceptione, quod possit inferre carentiam iustitiæ: quia implicat terminos conceptio Christi sine iustitiæ: ergo. Tandem Deus nullam displicentiam potest habere in humanitate, vt vnita Verbo: ergo in ea humanitate in sensu composito vnionis non potest esse originale peccatum.

§. 33. Addo, repugnasse etiam Christo peccare in Adamo. Nos peccauimus in Adamo, & in nobis ipsis contraximus peccatum originis. Demus Mariam in Adamo peccasse. Certum est, ab ea in se ipsa non fuisse peccatum originale contractum: quia quamuis ex parentis meritis debuisset transfundi, tamen merita Christi illud impedire. Christus neutra ratione potuit peccare. Non in se ratione reddita §. superiori; non in Adamo: quia in illo nullus potest peccare, quin possit in se contrahere peccatum illud: hæc autem contractio Christo repugnat: ergo & peccatum illud. Et quamuis non repugnet, Christum concipi sine gratia habituali, tamen repugnat illum concipi in gratum Deo. Ratio autem à priori est, quia non potest voluntas aliqua in aliam transfundi, cui per se repugnet actus in ordine ad quem transfunditur. quod ex terminis patet: sed voluntati Christi per se repugnat peccatum Adami: ergo. Quo differt